


**05**

**A**

**2040**





ORATIO  
De Scrutinio Rationis hu-  
manæ in mysteriis divinis.

IN ILLVSTRI  
ET FREQVENTI ACADE-  
MIÆ CONSESSV, SVB AVSPICIIS  
prælectionum publicarum habita VVI.  
TEBERGÆ a. d. 5. Cal. Mart. Anni  
Christiani 1605.


à  
M. FRIDERICO BALDVINO,  
Dresdensi, S. S. Theologiæ Profes-  
fore publico.

*Esa. 65. 23.*

Electi mei non laborabunt frustra.

WITEBERGÆ

*Impensis Zachariæ Schureri, Anno 1605.*





05 A 2040

Reverendissimo, Celsissimoque  
Principi ac Domino, Domino

**AVGVSTO**

**DVCI SAXONIÆ, LAND-  
GRAVIO THVRINGIÆ, MARCHI-  
ONI MISNIÆ ET EPISCOPATVS NAVMBVR-  
gensis & Citzensis Postulato Administratori; Academiae Wit-  
tebergensis Rectori Magnificentissimo, &c.  
Domino suo clementissimo.**

*Salutem & felicitatem.*



Ratiunculam hanc, Reverendissime &  
Illustrissime Princeps AUGUSTE, Re-  
ctor Magnificentissime, Domine Cle-  
mentissime, quam sub auspiciis opera-  
rum mearum publicarum in Academia  
vestra, ex prescripto legum, recitavi:  
iam hoc chartarum involucro I<sup>a</sup>. T<sup>a</sup>. Ci. humiliter offero, non  
quod eam adeo dignam aestimem vel aliorum, vel TUA imprimis  
lectione: sed quod Ima. T<sup>a</sup>. Cdo. eam dignam habuit, quam in-  
frequenti Academiae confessu clementer audiret. Pro qua  
singulari clementia Ima. T<sup>a</sup>. Ci. hac compellatione publice  
gratias ago quam humilimas, simul etiam Illustrissime domui  
Saxonice ex animi sententiam gratulor de tanti Principis tam  
preclaris in bonis literis progressibus, quibus haud dubie  
Princeps noster AUGUSTUS eximiam multorum piorum  
de se concitatum spem & expectationem iam bonam partem

PRÆFATIO.

superavit, & cum DEO, facillimè superare perget: quo nomine, ut par est, ad divinam maiestatem quotidie supplex vota facio. Volui etiam harum chartarum publicatione te statam facere debitam pietatem & humilimam animi subiectionem, qua Ime. Te. Ci. Magnificentissimo Academiae Rectori, iure sum obligatus. Et tandem sacranum hunc fœtum, qui rogatu piorum aliquot adolescentum alioquin exponendus erat, in loco aliquo tutiore, qui ab invidiorum sibiq; solis sapientium arrosione sit immunis, conquiescere exoptavi. Quemadmodum igitur Romani veteres eos, qui Vere sacro (quod inter Calendas Martias & Idus Maias fermè incidebat) nascebantur, cum adolescerent, velabant, & finibus patriis exigebant: ita hunc quasi vernam meum hoc Vere sacro natum, & jam paucarum pagellarum integumento velut obvelatum manu mitto, & in Illustrem Celsitudinis Tue sinum humiliter expono, obnixè orans, ut I. T. C. pro suo in universum literatorum ordinem favore ac clementiâ clementer eum recipere, & gratiosè fovere dignetur. Ego vicissim humilima obsequia & pias preces pro Ime. Te. Cis. incolumi felicitate ex intimis animi mei recessibus spondeo. B. Vale, Princeps AUGUSTE, & AUGUSTI illius, non Imperatoris Romani, quem commendabant Ethnici; sed Electoris Christiani, AVI TUI laudatissimi, felicitatem feliciter æmulari perge. Vitebergæ è Museo meo a. d. 3. Non. April. Anni Christiani MD IO CV.

I. T. C.

subiectissimus

M. Fridericus Balduinus.

ORA-



## ORATIO.

**S**CIO DOMINE, quia non est hominis  
via ejus; nec viri est, ut ambulet & diri-  
gat gressus suos. Hac sapientissimi  
mi Prophetæ voce primùm nunc  
in publicum prodire volui, dum  
VVITEBERGA, & quidem me-  
lior eius pars iterum mihi salu-

Ier. 10. 23.

tanda est ex sanctâ hac LVTHERI cathedra; quam  
si à diuino numine discessero, Serenissimus ELE-  
CTOR CHRISTIANVS II. Dominus noster Cle-  
mentissim9 & sub Celsitudinis ejus auspiciis, Am-  
plissimus Senatus Academicus mihi patefecit.  
Nam, vt vestra pace fari mihi liceat liberè, RE-  
CTOR Magnificentissime, Princeps AVGVSTE,  
Domine Clementis. Magnifice Domine Prore-  
ctor, Generosi Domini Barones, Viri strenui &  
Nobilissimi, Vosq; Reverendâ dignitate, Ampli-  
tudine, Sapientiâ & Humanitate præstantissimi,  
Patres Academiæ conscripti: ut & vos meliorum  
Musarum Alumni, Auditores omnium ordinum  
Ornatissimi: hanc cathedram hoc nomine quo  
nunc legibus Academiæ iubeor, conscendere nun-  
quam ausus fuisset, eò quod exinde non nisi po-

litum ingenio, elaboratum industriâ, adde etiam  
 experienciâ confirmatum proferri debere sciam:  
 quæ omnia vel natura vel vltus mihi denegauit. Id-  
 circò iam pridem omne meum studium in timore  
 DOMINI isti Theologiæ maximam partem  
 consecravi, quæ extra sublimitatem turbarum A-  
 cademicarum humiliore loco conquiescit. Ve-  
 runtamen admirabilem DEI dexteram video,  
 quæ, vt omnia, ita & animi mei pacta conuenta  
 mutare potuit, quin & iam gratiosè mutauit, &  
 cœlesti suo digito inde me eò retraxit, vnde for-  
 san non tam facilè discedere, & quò redire vix  
 dum cogitabam. Ita enim decreueram, præstare  
 omninò, *Theologum esse non verbis, sed factis* (quod  
 sub Philosophorum nomine de Theologis dice-  
 bat olim Cyprianus) *qui virtutum magis conscientiam  
 quàm iactantiam norint: qui non loquantur magna, sed vi-  
 vant quasi serui & cultores DEI: Sic omninò (quod  
 præfiscini dixerim) magis arridebat mihi *εὐσιβία*  
 quàm *θεολογία*, hoc est, rerum diuinarum religio,  
 quàm sapientia, quemadmodum olim à nonnul-  
 lis Theologiam theoreticam propriè Theologi-  
 am & sapientiam, Theologiam verò practicam  
 Religionem siue pietatem nominatam fuisse, ex  
 antiquitate constat. Sed enim vero verius est,  
 quod Lactantius alicubi scribit: *non potest nec religio  
 à sapientia separari, nec sapientia à religione secerni, quia**

*In sermone  
 de bono pa-  
 tient.*

*Vide La-  
 ctant. lib.  
 de ira Dei  
 cap. 11. Au-  
 gust. 10. de  
 ciu. Dei 1.  
 & Enchir.  
 ad Laur.  
 cap. 2.*

*idem*



ORATIO.

idem **DEVS** est, qui & intelligi debet, quod est sapientia; & honorari, quod est religionis. Quapropter manu quasi nunc retractus eo reuocor, vbi diuinæ sapientiaæ studium cum religionis honore conjungere, hoc est, & intelligendo & faciendo diuina frugis serui officium facere licet. Etsi vero nullatenus polliceri habeo, quod expectationi superiorum vndiquaq; satisfacere possim: eò tamen confidentius hanc quamvis arduam, mihiq; <sup>ἀπὸ μηχανῆς</sup> oblatam suscepi prouinciam quò magis exoptata occasio de nutrice meâ V Viteberga benè merendi in sinum quasi labitur. Dum ergo iam pro more laudabili nostræ Academiae, ad maiorem **DEI** gloriam, & illustrissimi huius Auditorii emolumentum sub operarum mearum publicarum initium verba ad vos facio; non est, Auditores, vt expectetis, quod vel uniuscuiusq; vestrum, vel doctiorum saltem voto respondeat, sed quod professionis mihi demandatæ præstantia, & mea in rebus grauib; infantia iusto quodam temperamento inter se iuncta, diuino adspirante numine, produxerint. Est autem inter alias quæstio non ignobilis, certè necessaria, quomodo res diuinæ sapientiaæ ab homine disci doceriue debeant, cum alia sapientum <sup>ἀρχαίους</sup> certum habeant <sup>ἀληθεῖαν</sup> suarum fundamentum, *Rationem humanam*; cum qua quidquid consentit, recipiunt; à qua quidquid

lib. 4. de  
vera sapi-  
ent. cap. 4.

disso.

dissonat, repudiant. Theologi suum quoque habent canonem & tantum non Mercurialem statum, *DOMINI* Verbum, cuius haud dubie maior est autoritas, quam omnis ingenii capacitas: ut alicubi D. Augustinus loquitur: sed ingenii humani petulantiane dicam an arrogantia, facit, ut non de nihilo quaeratur, num qua in mysteriis diuinis humanae rationi relinquatur autoritas, quae homini in rebus fidei ad sensum faciat, vel aliunde factum constabiliat? Ethnicos si hac de quaestione consulas, remittent te in solidum ad rationis humanae tenebrosum lumen (aliud enim nesciebant) unde omnem religionis suae causam petebant, quemadmodum Cicero rationem religionis à Philosopho accipi debere scribit: Unde postmodum Lactantius non iniuste conquereretur, multos Philosophorum religiones sustulisse. Pontificios multis in rebus gentilifantes si hoc nomine conuenias, varia audies: Praeterea, quod scripturam obscuram, perplexam, truncatam, ceream, ac proinde non solitariam fidei normam esse clamant omnes, in audies multos, quibus licet rationem fidei ex scriptura solidam dederis, oggannient tamen, in materia quidem fuisse responsum, nihil autem in formâ, quae phrasi qui saniores sunt, Syllogisticum rationis discursum intelligunt; qui cum novitiis insaniunt

Augustin.  
 lib. 2. de  
 gen. ad lit.  
 cap. 5.

lib. 2. 6. 3.

unt, serpentinum qualiscunq; argumentationis  
 gyrum; quo veritas involvitur potius, quam ex-  
 plicatur; quasi verò mysteriorum diuinorum cer-  
 titudo, quæ ex ipso verbo iam solidata est, aliquid  
 roboris & valoris accipiat ex informi forma cere-  
 brosæ rationis. Inter Sacramentarios etiam di-  
 pnosophistas inuenies, qui rationi tanquam uni-  
 cæ suæ blandiuntur: Vnde hæ illorum voces: ve-  
 ritatem in rebus humanis & diuinis tantum unam  
 esse, idcirco, quæ cum regulis Physicis pugnant,  
 in Theologia consistere non posse: oculo dextro  
 rationem, sinistro verbum respiciendum esse, &  
 quæ sunt hujus turfuris. Hæc & similia faciunt, ut  
 mens pia, quæ scit hominem in consideratione  
 rerum diuinarum non debere esse brutum, neque  
 tamen in rebus fidei in semetipso habere ius co-  
 activum, diligenter inquirat: Vtrum Ratio huma-  
 na quatenus fidei opponitur, diuina mysteria de  
 promissionibus consilio & voluntate DEI, per-  
 scrutando in dubium vocare, & ambigua dispu-  
 tatione in utramque partem examinare possit  
 aut debeat? D. Augustinus de hac quæstione à  
 suo Laurentio consultus, succinctè & verè respons  
 det hoc pacto: *Hæc sunt defendenda ratione, quæ vel  
 à sensibus corporis incoata, vel ab intelligentia mentis inuen-  
 ta. Quæ autem nec corporeo sensu experti sumus, nec mente  
 adsequi valuimus aut valeamus, eis sine ulla dubitatione*

*In Enchir.  
 cap. 4.*

2, credenda sunt testibus, à quibus ea, quæ divina vocari me-  
 2, ruit Scriptura, confecta est. Sed ut omnia fiant clario-  
 ra, & quilibet intelligat, non habere rationem ho-  
 minis tale in mysteriis divinis scrutinium, quod  
 vel articulos fidei seriò in dubium vocare vel du-  
 bios confirmare possit: amplius non nihil de quæ-  
 stione positâ dispiciemus; quantum modò per  
 temporis angustiam, & vestram, Auditores, illu-  
 strem gratiam & favorem exoptatum mihi con-  
 cedetur; quem à vobis omnibus submissè peto,  
 & certò mihi polliceri audeo.

Priusquam autem propositi thematis evi-  
 dentiam ipsis quasi oculis intueamini, Auditores,  
 liceat mihi pace vestra paucis exponere, quam  
 Rationem, quod Rationis scrutinium intelligam.  
 Nam cum omnis sapientia ratione agat, & verò  
 nihil homini tam carū sit, quàm Ratio, nihil Ra-  
 tioni tam inimicum, quàm in rebus præstantissi-  
 mis negare Rationi dominium: sciendum est  
 principiò nihil hîc agi, de mysteriorum divino-  
 rum caussa, quam Rationem nominare solent:  
 nam & quæ divina sunt & ex verbo Dei deprom-  
 ta, ratione suâ nituntur, licet non humanâ, sed di-  
 vina Ratione, quam D. Apostolus demonstratio-  
 nem Spiritus & virtutis nominat: neq; etiam per  
 omnia, de ratione seu mente hominis renati, qua-  
 tenus Spiritui Sancto per verbum loquenti non

1. Cor. 2, 4.

resis

resistit, sed obtemperat: hæc enim pertinet ad  
 armaturam militiæ nostræ, quam Apostolus *non*  
*carnalem, sed divinitus validam* appellat; sed de iudi-  
 cio & ad sensu humanæ mentis sermo est, qualis  
 potissimum reperitur in homine nondum renato  
 quem D. Paulus *ψυχικὸν* nominare solet. Talis enim  
 Ratio hominis animalis opponitur fidei, cui sæpè  
 non adsentitur: nam *fidei sapientia cœlestis est, ratio-*  
*nis nondum renatæ terrena, animalis & demoniaca*, ut eam  
 D. Iacobus in sua epistola indigitat. De huius igi-  
 tur Rationis *ψυχικῆς* scrutinio in rebus divinis potis-  
 simum quæritur; Sed non de tali scrutinio, quo  
 scripturam cum scriptura conferendo fides nostra  
 confirmatur: hæc enim est fidelium *ἑρευνη* & scruta-  
 tio quæ tantū abest, ut prohibita sit in Ecclesia, ut  
 potius à Salvatore ipso summo studio præcipia-  
 tur, & à Berhoënsibus Iudæis immortalis cum lau-  
 de fuerit usurpata. Neq; etiam laudabilem illum  
 scholarum Theologicarum morem notam⁹, quo  
 piis placidisq; opinionum collationibus ex verbo  
 DOMINI veritas inquiritur in fidei articulis, &  
 imbecillitati fidei hostiumq; veritatis vanitati &  
 versutiæ sophisticæ obviam itur: hoc ipsum enim  
 exercitium ad solvendas hæreticorum strophas  
 magnum sibi adiumentum attulisse ingenuè fa-  
 tetur Augustinus; & hoc sensu ipse dicere sole-  
 bat, se Ratiocinationi tanquam unice suæ blan-

2. Cor. 10. 4

1. Cor. 2. 14

Iaco. 3. 15.

Ioh. 5, 39.

Act. 17. 11.

lib. 3. cont  
Acad. cap.  
13.

Epist. 151  
In laud.  
Basil.

ad Episc.  
150.

2. Tim. 3.  
16.  
Tit. 1, 9.

Col. 2, 8.

diri, & ea sese oblectare. Quin & Nasiansenus, qui D. Basilio palmam tribuere solebat, quod præter cæteros excelleret in ratiocinandi & rectè differendi scientia, adfirmare non dubitavit, veritatè logicis disputationibus tritam in lucem proferri. Duo enim sunt hominum genera in Ecclesia; quibus cū ministro Evangelii esse res solet. Vnum eorū, qui quidem ignorant res sacras, discere tamen volunt; alterum eorum qui neq; sciunt, neq; discere cupiunt, sed ignorantia & cœcitate sua se delectant, quemadmodum distinguit Augustinus de grat. & lib. arbit. cap. 3. quorum illos docendos, hos redarguendos esse monet Apostolus. Vtrumq; horum ex solo Dei verbo fieri fas est; pari tamen facilitate fieri non potest. Facilius enim credunt mysteriis divinis, qui simplici fide atq; animo discere cupiunt, quàm qui per Sophisticen & inanem fallaciam iuxta traditionem hominum (ut loquitur Apostolus) decipiunt simplices in fide, quantumvis pios atq; Orthodoxos. Quemadmodum igitur priorib9 illis sufficit simplex oraculorum divinorum absque longa disceptatione *λογιστικῆς* & expositio; ita his versutioribus Sophistis, qui simplicitatem omnem respuunt, ex solo quidem Dei verbo, sed artificio syllogistico disposito & proposito resistendum est; Id quod absq; Rationis scrutinio fieri non potest, Et hoc

huma.

humanæ rationis scrutinium in divinis à nobis non taxatur. Cardines enim in quibus vertitur, agnoscit scripturâ Propheticam & Apostolicam, unde veritatem eruit, erutam agnoscit, in agnitaq; cōquiescit. Sed illa curiosamentis perscrutatio reprehenditur, quæ cum dubitatione conjuncta est, & opinionem potius confusam, quàm certam de Deo rebusq; divinis notitiam habet. Talis humanæ mentis *διαλογισμός* sive *ἔρευνα* & scrutinium in scripturâ *διάκρισις τῆς γραφῆς* appellatur & simpliciter fidei opponitur ab Apostolo Iacobo, qui *πίστιν μηδὲν διακρινόμενον* requirit à fidelibus. Hoc prohibitum rationis humanæ scrutinium, simul ac loquitur Deus, cogitationes suas opponit divino sermone, eò, quod videt, quæ divina sunt, convenientia non esse iudicio ac intelligentiæ suæ. Hoc vitium est corruptæ Rationis, & morbus hæreditarius totius generis humani, non nobis concreatus, non ex artium præceptis haustus, sed ante, quam inventa ars ulla esset, vitiatæ naturæ congenitus, & communis omnibus, etiam præcepta artium ignorantibus. Unde fit, ut ratio humana per se quidem cœca in Rebus cœlestibus plura sæpe audeat, quam suarum est virium, sæpeque sacrorum mysteriorum intelligentiam, quæ solius S. S. Scripturæ propria est, ex suo fingat & refingat ingenio; quemadmodum Maldonatus Esauita

Matth. 21.

21.

Mart. 11.

23.

Iacob. 1, 6.

Gallus ex rationibus merè naturalibus probabat una lectione Deum esse, altera negabat; quam methodum de DEO disputandi etiamnum blasphemæ sectæ Monachos paucis abhinc annis commendasse legitur. Sed hinc sæpè fit, ut ratio nostra ad utrumlibet oppositorum parata, non rarò pro veritate vanitatem, pro certa fide persuasiones inanes, sæpè etiam stultas atq; impias parturiat. Intelligitis, Auditores, quam rationem, quod rationis scrutinium ex agro & finibus Scholarum Theologicarum eliminatum velimus, idque non absq; causis longè gravissimis.

I.

Primùm enim illud haud dubiè extra controversiam est, ea, quæ ad cognitionem salutis sunt necessaria, sive promissionibus, sive promissionum impletione contineantur, satis abundè neque occultè eo ipso verbo, quo de mysteriis loquitur, revelata esse. *Non enim per difficiles nos DEVS quæstiones ad beatam vitam vocat, nec multiplici eloquentis facundie genere sollicitat*, ait D. Hilarius. Nullus igitur dubitationi locus est in eloquiis divinis, nisi cum enormi pietatis iacturâ nodus in scirpo quærat, id quod fit, quàm primùm Ratio verbo promissionis se opponit, illudq; dijudicare incipit, unde deinceps perniciosissima scrutandi cupiditas exoritur, quæ exploratiora esse vult arcana Dei, quàm ipse voluit. Videte mihi nostri

tempo.

Vide Respons. Renati La. Fon. pro Religios. Soc. Iesu. ap. 37. vide etiam Cateches. Iesuit. lib. 2. cap. 7.

lib. 10. de Trin.



temporis Sophistas. Vnde diuinosophistarum audacia, quod substantiale Christi corpus à sacrosancta cœna tam longè diuellunt, quàm longè abest supremum cœlum ab infimâ terrâ? nisi quod verba non tantùm promissionis sed & testamenti Christi, non tantùm in dubium vocant, sed & rationis argutiis aliunde, quàm ex illo ipso testamenti verbo veritatem huius mysterii petunt? Vnde est heterodoxorum & aliorum hostium veritatis impudentia, quod Christi corpus partim certo cœli loco alligant, partim maiestatem eius omnia ubiq; præsentè gubernandi abnegant; quàm quod huius mysterii sensum non ex verbo promissionis auferunt, sed ad illud adferunt? Et hæc est omnium hæresum perniciofissima, earum etiam, quæ scripturam controversiarum iudicem & normam unicam agnoscunt, quod nimirum mysteriorum diuinorum sensa non in iis quibus continentur verbis, sed in peregrinis scripturarum locis, quærunt. Etsi verò ad demonstranda singula mysteria loci scripturarum plurimi adferuntur: oportet tamen unum aliquod & certum esse verbum, cuius tanta sit ἀσφάλεια ut ei innitatur fides, & cui analogæ sint, si qua aliunde habet, testimonia. Et tale verbum aliud non est quam quod promissionem Dei continet, quam firmo ad sensu fides amplectitur, & contenta est,

*P. Martyr  
in dialog.  
& in defen.  
euch. ob-  
iect. 56.*

2. Cor. 4.

semel (saltem) loquitur, quantumvis id rationi insufficientis & absurdum videatur: cœtera quæ adferuntur loca, tantum testimonia sunt, quæ fidem, non denuò conferunt, sed collatam corroborant. Nam cum in hac mortalitate languidam fidei scintillam in testaceis portemus vasis, & sæpè etiam sanctissimi difficulter credant ea, quæ non videntur: Idcirco integrum nobis est, ut diligentibus scripturarum collatione fidem confirmemus, quòd promissioni datæ eò facilius adsentiamur, non secus ac olim fidelibus concessit Dominus, ut certis signis promissionum suarum veritatem stabilirent. Interim tamen salva manet promissioni sua veritas, quæ neq; ratione sui, neq; ratione promittentis, qui fidelis est, & mentiri non potest, sed tantum ratione accipientis, testimoniis illis opus habet. Sic mysterium de DEO incarnato proptoplastis primùm revelatum fuit, post Abrahamo & Davidi aliisq; repetitum; neq; tamen propter ea promissio illa prima magis vera est, quod accessit ad eum altera atque etiam tertia: sed per se veræ atque certæ sunt singulæ, & nulla earum ex altera veritatem habet, sed veritatis tantum testimonium; ita tamen, ut prima illa promissio proptoplastis data, caput & fundamentum maneat reliquarum, quas alii ea de re acceperunt: cui posteriores inserviunt, quia specialiores sunt, nihil tamen

ORATIO.

tamen plus veritatis obtinentes, quam prior illa, sed ad confirmandam fidem multitudine sua adhibentur. Constat igitur sua cuiq; mysterio veritas ex eo, quo revelatum est, verbo, neq; ea e testimonio aliquo sic dependet, ut, quod proprium est unius, id adimi possit per alterum. Itaq; quamvis contraria & pugnancia videantur esse in fidei articulis: tamen mysteria cum sint, & suo quodq; verbo certo à DEO parefactum, fieri non potest, ut promissio promissionem imminuat, mutet aut tollat, sed mysteria utrinq; iuxta verbum promissionis verissima esse necesse est. Ita cum unus docet, Christum esse Deum, alter, Christum esse hominem: item, Christum adscendisse in coelos, & tamen ubiq; esse presentem: Deum omnia posse, & tamen non posse falli aut fallere; hæc & similia non sunt pugnancia, singula enim suum habent verbum, cuius in semetipso certa est ἀσφάλεια, ita ut sine profanâ impudentia vel ista omnia vel singula in dubium vocare nemo audeat. Sacrosancta enim sunt mysteriorum verba, quibus revelantur in scriptura, veneratione & fide dignissima, sunt πιστοὶ λόγοι, ut vocat Apostolus & ἀσφαλέστατα ῥήματα, in quibus non potest aliqua esse contrarietas, eò quod sibi ipsi non contrarius est is, qui eorum autor est. Quæcunque igitur aliunde adferuntur tanquam veritatis testimonia, analogæ fidei sint.

1. Tim. 10  
15.

C

opors



oportet: talia verò ut sint, necesse est, ut salvus & intemeratus relinquatur sensus, quem unum quodq; mysterium in se habet. Quod cum non fit, sæpè accidit, ut ne quidem testimonia, quæ declarationis adhibentur gratia, suo in sensu retineantur, sed interpretationibus ad id detorqueantur, quod lascivæ potius rationi, quam simplici fidei <sup>ἀνάλογον</sup> est & consentaneum. Quapropter nullo modo admittendi sunt, qui sub præconcepta hac opinione, ac si mysteria verbis non satis apertis & perspicuis, sed singulari aliqua orationis figura prolata sint, testimonia aliunde conquirunt, nō ad confirmandam fidem, qui finis testimoniorum proprius est, sed ad eruendam veritatem; quam latere existimant in mysteriis revelatis adhuc absconditam. Hac enim ratione fit & testimoniorum & mysteriorum confusio & perversio, ita ut unius fides abrogetur per alterum, hominumq; animi magis dubii reddantur, quàm si simpliciter verbis propositi mysterii adhæsisent. Quæ cum ita sint, manifestum est, insanire eos, qui in articulo de S. S. Cœna Domini vno & quidem sinistro oculo verba institutionis, dextero ratiocinationis intueri jubent. Quemadmodum enim impòssibile est, unius oculi acie cœlum, alterius terram adspicere: ita fieri non potest, ut homo in rebus divinis inter naturam & scripturam ita

*Victorinw.  
Strigel. in  
Epist. Lip-  
senfi.*

partia

partiat, quasi illa veritatem hujus limitare, & in  
 aliū, quā quam prae se fert sensum transformare  
 posset. Nam ideo divina dici meruit Scriptura,  
 quod cum humana ratione sibi relictā pugnat  
 sublimiter constituta. Manifesta etiam est istorum hominum improbitas,  
 qui Lutheri discipulis obiiciunt, quod in articulo  
 de coena Domini nil nisi verba, verba, verba inge-  
 minare possint? Ecquis enim in hoc tanto myste-  
 rio non potius verbo veritatis & ultimi testamen-  
 ti fidem habeat, quā fallaci humanae rationis in-  
 terpretamento? Certē

*Textus non fallit, multos speciosa fefellit*

*Glossa, DEI verbo nitere, tutus eris.*

Manifestum & hoc est, non leviter aberrare eos,  
 qui Grammaticam literaturā in articulis fidei ad  
 elementa mundi Christianis fugienda referunt.  
 Hoc enim Anabaptistarum est, qui literalem scri-  
 pturarū sensum, etiam cū nullo fidei articulo pu-  
 gnantem, sub prae-textu literae occidentis, rejiciūt;  
 indignum ut ab homine, qui Christianae Concor-  
 diae consensum tanto cū strepitu jactitat, in publi-  
 cum orbis Christiani proscenium denuō proferat-  
 tur. Et tandem hoc manifestum est, rationem qui-  
 dem humanā in mysteriis divinis Scripturas scru-  
 tari, hoc est, scripturam cum scriptura conferre;  
 non tamen aliunde, quā ex ipsis quibus insunt,

*Neostad.  
de lib. con-  
cord. fol. 49*

*Huber. in  
confess. bre-  
vi pag. 21.*

verbis, tanquam rerum divinarum cubilibus, intelligentiam mysteriorum depromere debere, nisi fortè sensus literalis manifesto fidei articulo contradicat.

II.

Evincit hoc ipsum mysteriorum Evangelicorum perspicuitas, quæ nō sub flexiloquis, dubiis, aut obscuris verborum involucris latent, ita ut non nisi dijudicationibus rationis humanæ veritas ex iis, tanquam Delphicis oraculis, eruenda sit: neque enim Deus noster ita est ἀμφοβολος aut ἀμβιδέξιος, qui per oracula *ἡ ἀλήθεια ἐστὶν ἡ ἀποκάλυψις τοῦ πνεύματος ἁγίου ἐν ἡμῶν* (ut Apollinis responsa nominavit Lucianus) fallat homines: sed simplicitate sermonis voluntatis suæ arcana nobis revelavit, non in sapientia verbi, sed in ostensione Spiritus & veritatis, ut intelligamus, non in sermone esse regnum Dei, sed in virtute. Sunt sanè in sanctorum Bibliorum codice multa figurata, sunt & typi, parabola, ænigmata & similia non cuivis ad intelligendum obvia; sed nihil horum in mysteriis revelatis est quærendum. Non enim arte compositas fabulas secuti sunt sancti DEI homines, in proponendis mysteriis divinis, & explicandis fidei articulis, quâ in re forsan figuras & ænigmata adhibuissent, sed *ἐπὶ πλῆθει γνώσεως* (ut D. Petrus loquitur) divinæ majestatis, ea nobis retulerunt simpliciter, quorum ipsi oculati testes facti sunt. Neq;

1. Cor. 1, 17

1. Cor. 2, 4.

1. Cor. 4, 20

2. Pet. 1, 16

tamen

tamen propterea oracula divina religiosum mysteriorum nomen amittunt, sed sunt manentq; <sup>nostra</sup> hoc est, arcana quædã & secreta; non quod in verbis, quibus proponuntur, aliqua sit quali Cabalistica obscuritas, sed quod res rationi arcanas continent, quas, etsi patefactæ fuerint, nulla tamẽ possit intelligentia compræhendere absq; illuminatione divinâ: unde D. Chrysostomus mysterium definivit rem incognitam & ineffabilem, & quæ multum in se habet admirationis, quæq; sit præter opinionem. Quicquid ergo obscuri & arcani apparet in articulis fidei seu mysteriis diuinis, id in ipsis non est, sed menti humanæ, præsertim non illuminatæ, videtur esse, quæ perpetuò ea, quæ Dominus revelat, mandat, promittit & minatur, in dubium vocat, dijudicat, interdum etiam negligit & contemnit, & tandem omnino pro fabula habet. Quemadmodum enim anima rationalis judicando in se non aberrat, sed ut sensus externi obiecta deferunt ad mentem; ita mens de illis vel verè vel falsò iudicat: sic mysteria sacris consignata literis in se non sunt obscura sed quando ratio nostra sui ipsius dictamen tantummodo sequitur, fieri non potest, quin & ea, quæ vel radiis solis scripta sunt in Bibliis, merè Delphica oracula, & inexplicabiles gryphi esse videantur. Alioquin cur mandaret Dominus, aut quo

Sup. ca. 11.  
ad R.

pacto, quod jubet fieri posset, si non aperte loque-  
 retur? aut cur consilia sua revelaret, si verborum  
 involucris tecta vellet? Hoc enim esset, arcana  
 non revelare, sed magis involvere: hominem  
 sciendi avidum non erudire, sed sub eruditionis  
 larva nequiter decipere quam fraudem absit, &  
 quàm longissimè absit, ut sacrosanctis scripturis  
 imputemus. *Ne dixeris in corde tuo* (inquit Apostolus  
 Paulus) *quis adscendet in cælum, hoc est Christum ex alto*  
*deducere: aut quis descendet in Abyssum, hoc est ex mortuis*  
*reducere, sed propè te verbum est in ore tuo & in corde tuo:*  
*hoc enim est verbum fidei; quod prædicamus.* Qui igitur  
 de mysteriis revelatis aliter sentiunt, nec ad intel-  
 ligendum aperta satis eorum verba, nec voluntatem  
 Dei ex iis verè posse perspici judicant, nisi vel  
 alicunde diu multumq; dijudicando eorum inve-  
 stigetur veritas, vel etiam Synodico edicto vel  
 Pontificis Romani rescripto quid credendum sit,  
 decernatur: hi profectò, eo ipso ad sensum simpli-  
 cem remonent, & ad evertendam fidem omnem,  
 & ad introducendas vanissimas opiniones amplif-  
 simas aperiunt fenestras. Nam verbi divini sim-  
 plicitatem & veritatem suspectam & obscuræ am-  
 biguitatis ream faciunt, opinionum figmentis a-  
 ditum permittunt liberum, proq; verâ & certâ  
 fide persuasiones introducunt falsissimas, & quæ

Rom. 10.

scatus



scaturigo omnis mali est, SPIRITVS SANCTI  
 luce extinctâ rationis humanæ *ἐκβύβιον* accendunt  
 in Ecclesiâ. Accedit, quod rationis, licet illuminas  
 tæ, pars magna in humanis quoq; rebus quam  
 plurimis cœcutit, tanquam noctua ad solem me-  
 ridianum, in divinis verò plane cœca, barda, bru-  
 ta atque stulta est, & fidei simpliciter contraria:  
 quomodo ergo audeat, ea quæ Dominus dixit,  
 vel in dubium vocare, vel pro suo lubitu inter-  
 pretari? Etsi enim Spiritus Sanctus quotidie per  
 verbum purgat feces rationis nostræ & illuminat  
 eam lucerna verbi divini: tamen id non facit id-  
 eò, ut perscrutetur ratio arcana & profunda Dei,  
 quod solius Spiritus Sancti opus est, sed ut sordi-  
 bus exterfis & cœcitate mentis excussâ unâ in luce  
 ambulet, donec tandem, ut hostia mactata, fidei  
 flamma accensa, combustaq; velut holocaustum  
 & gratum sacrificium DEO offeratur. Quod  
 autem ratio Spiritu DEI jam illustrata hoc dono  
 aliunde accepto adeò superbit, & suo dictamine  
 pro arbitrio, omnes scripturæ sensus in ordinem  
 cogere non veretur, id omne infelix infelicissimi  
 lapsus primorum parentum effectus atque fru-  
 ctus est. Hinc enim inexplebile illud non ne-  
 cessaria, quin & inutilia sciendi desiderium ra-  
 tionis nostræ oritur.

III.

Nam

Nam primi nostri parentes instinctu suaſuq;  
 Diaboli ab arbore ſcientiæ boni & mali temera-  
 rio auſu comederant, tantùm eo fine ut pruden-  
 tes fierent, & bonum à malo diſcernere poſſent,  
 etiam tum, cū diſcretionem nulla opus fuerat, ſiqui-  
 dem à Deo bona tantū erant condita omnia. Inde  
 factum quod ratio humana ne nunc quidem qui-  
 eſcat, ſed inueſtigare & perſcrutari pergat cuncta,  
 tam ſupera, quàm infera, dijudicando bona &  
 mala, vera ac falſa, idq; adeo temerè, ut non raro  
 falſa pro veris approbet, neq; prius errorem intel-  
 ligat & deponat, quàm cum contrarium experien-  
 tia oſtendit, & exitus acta probat. Ex hoc vi-  
 tio fit, ut Ratio quandoq; à ſemetiſſa etiam diſſi-  
 deat, & quod jam ſcire ſe iudicat, de eo ruruſus pau-  
 lò poſt dubitat, neq; tum inquirere ceſſat, ſed ali-  
 ud atq; aliud eruit; tandemq; cum ulterius pro-  
 gredi nequit, aliquid ex ſuis adfert inventis, quod  
 quamvis pro vero adfirmare non auſit, commen-  
 dat tamen, ut veroliſſime, quod ipſum omnium  
 hæreſium qualiſi mater eſt. Neq; vero ab hoc vi-  
 tio ratio à Spiritu ſancto illuminata omnino ex-  
 emta eſt, ſed quàm diu Spiritui reſiſtit, multo pe-  
 riculoſiore morbo & cupiditate ſcrutandi labo-  
 rat. Cum enim cæca adhuc eſſet, & de Deo ni-  
 hil ſolicita, verbum eius contemnebat: Illumina-  
 ta jam, dum ex ſcriptura ſapere videri vult, ma-

gna

gna temeritate scripturam vitiat, nec omni verbo  
 lucem & veritatem pariter tribuit, sed obscuriora  
 esse multa putat, præsertim in mysteriis, quàm ut  
 per se fidem faciant. Sux igitur perspicacitati sub-  
 jicit scripturæ lucem, & quod ipsa invenit, verum  
 esse simpliciter statuit, & ut veritatem aliis obtru-  
 dit. Hoc est, quod D. Bernhardus repræhendebat  
 in Petro Abailardo Philosopho Parisiensi, qui Phi-  
 losophicis terminis & humanæ rationis inventis,  
 Theologiam contaminabat. Sic enim scribit  
 de eo ad Innocentium Pontificem: *Ponit in cælum*  
*os suum, & scrutatur alta DEI, rediensq; ad nos refert*  
*verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Et dum pa-*  
*ratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt su-*  
*pra rationem & contra rationem præsumit & contra fidem.*  
*Quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem*  
*conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quam*  
*credere nolle, quicquid non possit ratione attingere? &c.*  
 & in concilio Senonensi his verbis de eo conque-  
 ritur. *Totum quod DEVS est humana ratione cona-*  
*tur comprehendere: ascendit ad cælos & descendit usque*  
*ad abyssos: nihil est quod lateat eum, siue in profundum in-*  
*ferni siue in excelsum supra. Homo est magnus in oculis*  
*suis, disputans de fide contra fidem, ambulans in magnis &*  
*mirabilibus supra se, scrutator maiestatis, hæresium fabri-*  
*cator.* Hæc Bernhardus; quæ in omnes *argobatur*  
 Theologos rectè dixeris, qui in Theologorum

Epist. 190.

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

”

D

sub

lib. de spe-  
cul. peccat.  
cap. 6.

Arist. 1. po-  
ster. ana-  
lyt. cap. 7.

1. Cor. 1. 19.

Chryso-  
stom. 1. in  
Genes &  
in Esalm.  
115.

2. Tim. 3.

subsellis Platonem quàm Paulum adire malunt. *Erubescat superbus peccator ait D. Augustinus & cui plus placet Aristotelis, quàm scientia de Apostolis: plus Platonis, quàm liber divinus.* Exterminandum igitur est ex finibus Ecclesiæ lascivum hoc rationis humanæ iudicium, quod veritatem articulorum fidei non perficit, sed interficit; non examinat, sed exanimat. Docent enim Philosophi quodque non debere disputantem *μὴ βαίνεν εἰς ἄλλο γένος*: quantò minus igitur divinorum mysteriorum veritas ex lubrico Rationis iudicio & examine pendere, aut Philosophicis quibusdam maximis ratiunculis & Regulis probari debet. Exigua enim est *συνέχεια* inter doctrinam sacram & Rationem humanam; sed summa sæpè antithesis, unde multi sapientes huius sæculi agnoscunt quidem veritatem religionis Christiani, sed dum eam cum ratione sua conciliare nequeant, contradicunt, usq; adeò perdit Dominus sapientiam sapientum & prudentiam prudentum reprobat. *Magnum igitur est periculum res fidei committere humanis rationibus*, ait os illud aureum Iohannis: non enim opus habet divina scriptura humanâ sapientiâ: sed quemadmodum scriptura est *ὁσόντως*; ita qui scripturæ sacræ credunt, sunt *ὁσὸν δακτοί*. Ad hoc perversum rationis iudicium pertinent inanes illæ in rebus sacris consequentiæ Sophistarum, pueriles arguta-

tion-

tiunculæ Scholasticorum, ridiculæ disputationes  
 in forma Esauitarum, quibus vel ea, quæ satis alio-  
 quin clara sunt, volubili verborum gyro invol-  
 vunt, vel omnia in utramq; partem disputantes, &  
 se & auditores suos in dubio relinquunt, quin &  
 propriam suam vanitatem patefaciunt, vera in  
 verosimilia convertentes, & fidem facientes iis,  
 quæ jam ante fidem habent. Nam articuli fidei  
 sunt *ἐπισημονικοί*, qui respuunt topicas ejusmodi *συζητήσεις*  
 quibus fides non confirmatur sed infirmatur,  
 Hinc coactus fuit exclamare Tertullianus *Aristo-*  
*telem miserum esse, qui hæreticis dialecticam instituerit,*  
*struendi & destruendi versipellem,* non quidem Aris-  
 totelis Logicam ad unco veluti naso suspendens:  
 Ea enim ut *ὄργανον ὄργανον*, ita etiam S. Theologiæ  
 instrumentum est aptissimum & necessarium,  
 sed summam istorum hominum malitiam & ver-  
 lutiam coarguens, qui rerum sacrarum materiam  
*αὐτοπίστον & αὐτολεξί* veram, disputationibus suis in  
 forma deformant, & dialecticis seu probabilibus  
 argumentis informant. Theologia *ἀποδεικτικὰ*  
 postulat argumenta, quæ in se sint *ἀξιόπιστα*, quibus  
 res ipsa (ut Philosophi verbis utar contra istos  
 Philosophos) *εἰς μὲν κίνητον πίθεται*, & fidei *πληροφασία* reddi-  
 tur *ἀμείψω* etiam si nullus accedat *ἀλλοτριωμός* in for-  
 ma; quemadmodum sanctissimi summum illud  
 mysterium de benedicto semine magna animi

De præscri.  
hæret.

Socrat. lib.

3. cap. 8.

Sozom. lib.

1. cap. 18..

Epist. 190.

IV.

<sup>πεποιδία</sup> acceperunt, credentes contra spem in spem, licet nemo esset, qui hoc in forma ipsis persuaderet. Et bonus ille senior in concilio Niceno, acutissimum Philosophum non disputationibus in forma, non subtilibus rationis argutiis, sed simplici verbo Domini ad fidem Christianorum convertit, addens hæc <sup>μνημόνευται</sup>: *Neq̄ enim dialecticas argutias, & Vanas istas, quas tu profiteris, deceptiones Christus nobis & Apostoli tradiderunt: sed sententiam nudam, quam fide tueri ac bonis operibus custodiri oportet. Unde D. Bernhardus de hæresi Abailardi: Absit ut putemus*

*in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia estimatione pendulum, & non magis totum quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum, oraculis & miraculis divinis persuasum; & consecratum partu virginis, sanguine redemptoris gloria, resurgentis. Proinde facessat rationis humanæ scrutinium, vbi fides habet dominium, & quæ ea, quæ ad pedes sunt, terrena non intelligit, quæ supra nos sunt cœlestia mirari potius quam rimari discat. His ita constitutis, attendite adhuc paulisper Auditores, quam graviter offenderit salvatorem nostrum perversum hoc rationis humanæ in divinis iudicium. Nam cum in mysteriis nihil tam sit ad fidem faciendam idoneum, quàm miracula, unde doctrinæ novæ veritate n velut ex ungue leonem agnoscere jubet Dominus in repetita lege, videmus tamen, quàm acriter*

repræ

reprehendat salvator morosophos Pharilæos, & alios, quod, cum miraculis Christi oculi animiq; ipsorum adhuc calerent, ipsi tamen doctrinam inde confirmatam, nihili æstimarent, nullam aliam ob causam, quàm quod sapientia hominum non percipiat ea, quæ sunt DEI. Quod cum animadverteret, identidem inculcavit discipulis, ut si regni sui privilegio gaudere velint, convertantur, & repuerascant, hoc est simplici & puerili fide ab ore Magistri sui pendeant, licet ea etiam quæ rationi incredibilia videantur, nullo præternaturali opere stabiliantur; quin & æterno patri gratias agit, quod doctrinam suam cœlestem sapientibus huius mundi, qui ratione metiuntur omnia, occultam, revelarit infantibus, qui sunt ad credendum quam facilimi.

Non enim hîc locum habet illud *μὲννησοῦκτιστίν*, quod est sapientũ huius seculi apophthegma; sed id quod Christus monet patrem illum dæmoniaci: *Sicredere potes; credenti omnia possibilia.* Idcirco tam prolixè prædicat Centurionis istius fidem, qui unico verbo Christi, etiam absentis famulum ægrotum sanari posse similiter credebat: vice versa quanta cum indignatione discipulorum *ἐλιγοπισίαν* cum *διαλογισμῶς, διακρίσει, διανοημάτοις καὶ ἐνθυμήσεσι* reprehendat, ex Evangelica historia notum est.

Matth. 16.

Iohan. 4.

Matth. 18.

Matth. 11.

Marc. 9.

Noverat enim, vanas illas animi persuasiones & inutilem rationis disceptationem tantum in illis gignere stuporem, quod cum Salvator de se, suoq; officio verbis claris, prædicaret, ipsi tamen nihil minus intelligerent. Quin etiam cum opinionibus suis illecti, quãdoq; ex eo quærerent, quod scire eos vel nõ expediebat, vel necesse nõ erat; ita respondit, ut haud obscure intelligere potuerint, quæstiones illas nec ipsi gratas nec sibi necessarias esse, eò quod proprias animi figmentis plus haberent fidei, quàm verbis præceptoris, & quod plura, quàm opus sit, scire, plura intelligete, quàm credere, velint. Hoc est, quod scribis atq; Pharisæis, qui nec miraculis nec adhortationibus Christi ad fidem promoveri poterant, objicit apud Iohannem: Ideo eos non posse nec audire verbum, nec credere; quia secundum carnem judicent. Ex hac carnalis iudicii sentinã fluxerunt ea omnia, quòd Iudei credere nõ poterant, Iesum Nazarenum esse *ἄνθρωπος*: homo cum sis (inquiunt) te ipsum facis Deum Ioh. 10. Item habere eum potestatem remittendi peccata; sessurum aliquando ad dextram DEI, quæ omnia satis plana & aperta erant, si sermoni veritatis credere voluissent, sed quia hæc ab omni ratione hominum aliena erant, ideò cæcis illis hominibus videbantur incredibilia. Et quid quæso hodiernis Iudaizantibus Cal-

vinia-

Iohan. 8.



vinianis, & novitiis de posteritate Elai Pharilæis tantum fecit in articulo de Persona Christi supercilium, quo omnia Apostolorum & antiquissimorum Patrum de maiestate carnis Christi iudicia de ponte præcipitât, nisi quod Scripturas & virtutem Dei non intelligunt, profundum sublimissimæ maiestatis pelagus angusto rationabilium argutiarum lintre enavigare conantes. Quapropter expedit omnino verè Christianis, ut quoad ejus fieri potest, puerorum instar, simplici credulitate adhæreant divinis mysteriis, in quibus omnis humana scientia vix exigua particula est eorum, quæ in Academia cœlesti de abstrusissimis quibusque naturæ & scripturæ miraculis intelligentur: Quorsum igitur rationis præjudicium, ubi sciendi vix initiû? Malè sanè dijudicatur id, quod non intelligitur, & stultitia est, conciliare quod non dissidet. Hæc ergo ratio tractandi mysteria, vera & extra periculum est; non ut dijudicentur veluti nostræ intelligentiæ & sensibus subiecta: nec præter id, quod in iis revelatum, disputando eruatur veritas aliqua, Sed fidei ante omnia locus sit assentiendi, non juxta id, quod Rationis iudicium statuit, sed prout, quod à D E O inspiratum, & à Spiritu Sancto patet factum est, verbum postulat. Quod si ad simplicem hunc fidei adsentium accedant disputationes de fidei articulis scholasticæ,

rectè

rectè fit hoc atq; ordine, partim propter summam  
 fidei nostræ imbecillitatem confirmandam, par-  
 tim ob hæreticorum pravitatem convincendam,  
 qui ea, quæ fidelibus jam sunt verissima, argutiis  
 suis sæpe reddunt ambigua. His injiciendi sunt  
 compedes, quibus constricti teneantur, & tandem  
 cum ignominiâ cedere cogantur. Ut autem dispu-  
 tationes in primis Theologicæ hunc consequan-  
 tur finem, absit ante omnia *νενοχαις* & altercandi  
 studium: Inter Christi enim servos collatio esse  
 debet, non contentio, ait D. Ambrosius, & Apo-  
 stolus ipse non semper litigare, sed hæreticum ho-  
 minem post unam atq; alteram admonitionem  
 fugere, quæstiones verò stultas & profanas vo-  
 cum novitates vitare jubet. Hanc ob causam  
 Constantinus Magnus Imperator laudatissimus  
 discordiam inter patres Synodi Nicenæ ortam de  
 quæstionibus quibusdam Theologicis, in contro-  
 versiâ Ariana sapienter & maturè sopesire studuit;  
 Indignum esse inquit, hostibus Ecclesiæ domi-  
 tis, se mutuis armis impetere & risum præbere  
 adversariis, præsertim in quæstionibus de rebus  
 divinis, in quibus doctrinam Spiritus S. haberent  
 in acta seu instrumenta relatam. *Evangelici enim &  
 Apostolici libri (ait) & veterum Prophetarum sancta ora-  
 cula evidenter nos erudiunt, quæ de divinis sapere conve-  
 niat. Relinquentes igitur rixosas contentiones ex sermos*

2. Tim. 3.  
 Tit. 1. & 3.

Sozom. lib.  
 1. cap. 17.

Theodoret.  
 lib. 1.  
 cap. 7.

nibus

nibus divinis inspiratis accipiamus decisionem eorum, quæ in questionem veniunt. Quem præclarum sermonem sapientissimi & Christianissimi Imperatoris non immeritò opponimus etiamnum tam curioso rationis iudicio, quàm inutilibus otiosorum hominum disputationibus in mysteriis divinis, semper caventes, ne, vel scrutando majestatem, opprimamur; vel sapiendo, supra id quod scriptum est, desipiamus, vel tandem nimium intelligendo nihil intelligamus. Neq; enim turpitudinis aliqua species est, in rebus sacris interdum vel infantiam vel ignorantiam fateri: Nam ut boni Grammatici, ita & boni Theologi est, quædam ignorare; vel ut D. Augustinus præclare loquitur; *multum adjuvat cor fidele, nosse quid credendum non sit, etiamsi disputandi facultate id refutare non possit.* Hic enim fides dubitationes omnes solvit; neq; omnes, qui Christi sunt participes (ait Fulgentius Augustini discipulus) etiam respondendo possunt, defensare, quod credunt, sed etiam illa pars est victoriæ, ut, quando quis sermone non potest defendere veritatem, fideli tamen corde devitet errorem. Hæc sunt, Auditores, quæ curiosum rationis humanæ scrutinium in mysteriis divinis coercent, superstitiosas in re sacra disputationes præcidunt, simplicem fidei adsensum commendant, & simul ostendunt, quatenus in Theologia placidis opinionū collationibus sit indulgē-

Prov. 25.

1. Cor. 4.

De heres.  
ad Quod-  
vult. in e-  
pilogo.

dum. Quod si enim myſteriorum divinorum veritas non ex rationis humanæ examine, ſed ex eloquiorum divinorum dictamine; non ex cœcitate & à Chriſto toties culpato corruptæ mentis iudicio, ſed ex clariffimo verbi divini iudicio eruenda eſt: nemo tam tardus eſt quin intelligat, impiæ temeritatis eſſe, diſputando in dubium vocare ea, quæ vel expreſſa verbi litera, vel indubius ſcripturarum conſenſus luculenter & ad oculum demonſtrat. Proinde cavendum vel imprimis eſt, ne dum fidei articulos ſcrutamur, plus tribuamus Ariſtoteli quàm Apoſtoliſ, plus rationi quàm fidei, ne quod fidei ſimplicitas utiliter ædificavit, rationis arguta ſubtilitas pernicioſè deſtruat, quod omnes iſti faciunt qui naturam cum ſcriptura conjungunt, qui plus formæ tribuunt in diſputando quàm materiæ, qui rationem hominis illuſtriorẽ eſſe putant, quàm eloquia DEI, hi enim omnes de fide diſputantes fidem impugnant, ut de huiusmodi hominibus loquebatur Ambroſius: ſed quia unumquodq; myſteriorum ſuam habet veluti patriam, propriamq; ſedem, ibi etiam ſolummodo quærendus ſenſus eſt, non ex rationis præiudicio tanquam ex peregrina regione adferendus, ſed inde ſimplici fide auferendus: Quod ſi plurium ſcripturarum conſenſus acceſſerit, recipiantur illæ non ut inveniendæ ve-

ritas

ritatis prima *veritas*, sed ut jam inuentæ testimo-  
 nia. Quod si demum ratio vel natura aliquid ad-  
 ferat, quod cum fide consentiat, addatur & hoc  
 ad maiorem fidei confirmationem & validiorem  
 hæreticorum confusionem, ut iisdem armis eò  
 fortius prosternantur, quò confidentius ad ea  
 provocabant. Ita D. Augustinus cum in libro de  
 quinq; hæresibus prolixè ex scriptura disputasset  
 pro æquali essentia filii cum patre, contra Paga-  
 nos, Sabellianos, & Arianos, adfert tandem simile  
 ex natura, de igne & splendore: sic scribens: *Ignis* ”  
*& splendor duo sunt, alter ex altero est, nec sine altero alter* ”  
*est, ignis pater, splendor filius: & concludit tandem his* ”  
*verbis. Accedat Paganus, accedat Sabellianus, videat* ”  
*Arianus: contemplantur lucernam, in ipsa videant quod in* ”  
*DEO non possunt. Non facio iniuriam, si aliqua parte tan-* ”  
*ti creatoris cupiens ostendere potestatem, ignis siue lucernæ* ”  
*afferam tantillam similitudinem, Scriptum est enim lucerna* ”  
*pedibus meis verbum tuum Domine, & lucerna semitis me-* ”  
*is, & de Deo dictum est: Ignis consumens est, Deuter. 4.* ”  
*Accedite ergò, & lucernam diligenter considerate, vestrasq;* ”  
*fatuas tenebras removete &c. Hæc Augustinus. Et his* ”  
 quidem adminiculis, adjuvante Domini Spiritu,  
 provinciam professionis Theologicæ mihi de-  
 mandatam deinceps administrare fert animus.  
 Quo nomine vel imprimis Deum Ter. opt. Max.  
 fontem omnis sapientiæ & virtutis ex animi

sententiâ supplex veneror, ut spiritu Sapientiæ & intellectus, Spiritu consilii & fortitudinis, Spiritu scientiæ & pietatis illuminet os animumq; meum, ut ea mediter, ea dicam proferamq;, quæ studiosæ juventutis eruditionem atq; pietatem, Academiæ nostræ florem & celebritatem, & Ecclesiæ totius ædificationem & utilitatem augere atque promovere possint. Regat is auditorum animos eodẽ spiritu scientiæ & pietatis, ardoris & amoris, ut proponenda diligenter audiant, audita dextrè percipiant, percepta fideliter retineant, retenta vicissim suo tempore ad Ecclesiæ Christi singulare incrementum, magnâ cum fruge conferant. Respiciat is porrò celeberrimam hanc Academiam oculo propitio, ut quemadmodum fuit hæcenus, deinceps etiam sit VViteberga nostra Ecclesiæ DEI primarius honor, hostium Christi formidabilis terror, & bonorum omnium desiderabilis amor. Protegat is Serenissimum Magistratum nostrum, Christianum II. S. R. I. Septemvirum, Ioannem Georgium, & Augustum Academiæ nostræ Rectorem Magnificentissimum, Dominos nostros clementissimos; Protegat is inquam ternos hosce fratres, Saxonicæ domus columnas, & almæ nostræ nutritios munificentissimos, ut sub salutari Saxonicæ rutæ germine adversus omne hæreticorum virus & aliorum ho-

stium

stium pestilentes machinationes exiguus piorum  
coetus feliciter conquiescat,

Ejusdem divinæ majestatis tutelæ ac præsidio  
ex animi sententia nominatim & inprimis com-  
mendo Vestram Illustrissime Princeps Auguste,  
Rector Magnificentissime, illustrem celsitudinẽ,  
Vestrã quoq; Magnifice Domine Prorector, Re-  
verendam Magnificentiam, Generosos Dominos  
Barones, Strenuos Nobilissimosq; viros, Magnifi-  
centissimi Academiae **RECTORIS**, Principis Au-  
gusti, Domini nostri clementissimi, familiares, ut  
& Reverenda dignitate, Amplitudine & Humanis-  
tate Præstantissimos Dominos Doctores & Pro-  
fessores, cum universa omnium ordinum studio-  
sæ juvætutis corona florētissima; omnesq; cæteros,  
qui honorificētissimã suã præsentia clementiã, fa-  
vorem ac benevolentia suã hac hora mihi decla-  
rârunt: quibus hoc nomine humilima & officiosa  
mẽte singulares ago habeoq; gratias, Deumq; sup-  
plex veneror, ut hos omnes atq; singulos clemēti  
sua protectione tueri; omnibusq; corporis ac ani-  
mi bonis ac donis undiquaq; prosperare dignetur.

Audiat hoc Pater luminum: audiat splendor  
gloriæ ejus, audiat Spiritus oris ipsius, audiat hæc  
devotæ mentis vota & suspiria SS. Trinitas,

**DEVS** unus benedictus in secula secu-  
lorum. **DIXI.**

S. S. THEOLOGICÆ STUDIOSIS IN  
ACADEMIA VVITEBERGENSI SA-  
LUTEM ET AMOREM.



Nnus jam ipse tertius est, cum post Novennij curriculum (quod magnam partem munificentia Illustrissima domus Saxonica hic ferè peregeram) VVitebergæ nostræ valedicerem, divinis auspicijs ad munus Ecclesiasticum Fribergam primum, deinde ad inspectionem Ecclesiæ Olsnicensis, & vicinarum evocatus. Quo quidem tempore, si ab ordinarijs provincie mihi tum demandatæ laboribus discessero, nihil magis in precibus meis pensi habui, quàm ut salutem & prosperitatem hujus Academiæ præpotenti Deo devotè commendarem. Scio enim & sciunt mecum omnes boni, florente ea, florere rem Christianorum publicam; periclitante ea, periclitari insimul sacra literaturamq; melioris Germaniæ. Proinde quibus verbis Regius Prophetæ David olimin inauguratione sacrorum Hierosolymitanorum Sioni suo gratulabatur, iisdem ego pro prosperi seculi Sione, VVitebergâ nostrâ, vota faciebam, & etiamnum ex animi sententiâ facio ex Psal. 122. subinde ingeminans: Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem, (VVitebergæ) & abundantia diligentibus te; Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te: propter domum domini Dei nostri, quæ sivi bona tibi. Et quia existimabam Academiâ hanc vix feliciorē fore, quàm si ijs præceptoribus & Professoribus, quos tum reliqui per multas adhuc ætates ex voto frueretur: Idcirco vel inprimis pro horum incolumitate & felici operarum suarum successu quotidie litavi. Sed ut nemo scit, quid servus vesper vehat, ita comperi (proh dolor) interea, quam ferè nulla sit literariæ hujus Reipub. tribus, quæ non gregario milite, sed tribuno suo hoc tam exiguo tempore non orbata fuerit. Ita nimirum Nemo tam divos habuit faventes, craft. num ut possit sibi polliceri. Res Deus nostras celeri citatas turbine versat. Nam sive Philosophorum, sive Medicorum collegia videam, nemo inter hos est, qui non vel Ephorum, vel primarium aliquod sui contubernij membrum jam desideret. Vsque adeo mors ubiq; ferallia pressit vestigia, & sapientissimus Deus emeritos illos SVÆ SCHOLÆ, quæ jam pro tempore nostra est, æterno immortalitatis rade donavit, quantumvis non sine multis literatorum, præsertim Studiosæ juventutis suspirijs. Theologorum familiam quod attinet, lubens jam prætereo nuperrimum illud

& quod



INTIMATIO.

& quod ante nostros adhuc versatur oculos, luctuosum fatum Celeberrimi  
 Theologi, D. D. GESNERI, <sup>ὁ ἐπιεικής</sup>, cujus eò vivacior & acerbior in animo  
 meo durabit memoria, quò intempestivius ipso introitus mei die adventantem  
 me excepit. Inprimis autem illud vulnus non sine lachrimis in piorum  
 animis quotannis recrudescit, quod prematurus, sed beatus obitus clarissimo-  
 rum Ecclesiae luminum, HVNNII dico atq; RVNGII, non tantum huic Acade-  
 miæ sed & universæ Reipub. Christianæ repetito ictu sat altè influxit. Qui  
 gemitus quod pia suspiria eo nomine cæli fores alibi pulsaverint, id inter mul-  
 tos alios pro mea quoq; tenui parte testari possem; sed quia suspirando exa-  
 cerbatur potius, quam sanatur vulnus, ideo pro salute afflictissimæ Ecclesiae  
 pijs precibus eò ardentius ingemui cum Mose ad Dominum Deum exercituum  
 & omnis carnis, ut in locum piè defunctorum provideat homines, qui sint su-  
 per multitudinem Scholasticam, & possint exire & intrare ante eam, & edu-  
 cere & introducere eam, ne sit populus Domini, tanquam oves absq; Pastore,  
 Numeri 27. Cui voto & meo & multorum piorum clementissimus Pater an-  
 nuuit, & utriusq; piè demortui defectum eximio Theologorum pare compen-  
 savit, quo nomine divina ejus bonitati Ecclesia Christi immortales debet gra-  
 tias. Sed cum hac ratione quarti Theologi locus vacare inciperet, necesse fuit,  
 ut amplissimus Senatus Academicus de substituendo alio maturè deliberaret.  
 Unde factum est singulari Dei nutu atq; providentiâ, ut juxta alios, me quoq;  
 (quod à <sup>ἁγίων ἄνθρωπος</sup> dixerim) nil tale cogitantem, sed inspectionem Ecclesiarum  
 apud Variscos, vix tam ante menses quatuordecim mihi delegatam, pro vi-  
 ribus administrantem, clementissimo magistratui nominaret. Quo facto,  
 Serenissimus & Illustrissimus Saxoniae Elector CHRISTIANVS II. Dominus  
 noster Clementissimus, me citra spem & opinionem meam à Provincia Olf-  
 nicensi in hanc Academiam ad Professionem Theologicam vocari jussit, & per  
 Senatum Academicum mensibus ab hinc aliquot clementer vocavit; id quod  
 grato & obsequente animo agnosco. Etsi autem non sum nescius, quàm am-  
 pla mihi hoc in genere ornanda Sparta sit, quàm exilis virium mearum in  
 functione tam sanctâ atq; arduâ mediocritas; attamen cum omnis inglorios  
 nostra non à nobis ipsis sed à Deo sit, impium putavi, Deo sic providenti, Ma-  
 gistratui jubenti, Academiæ vocanti, temerè refragari.

Proinde in nomine sacrosanctæ & individuae Trinitatis vocantibus  
 obtemperavi, & jam, quod benè vertat Altissimus, pro more Academico,  
 Vobis Ornatissimi Domini commilitones, publicè significo, me operarum Scho-

lasticarum

INTIMATIO.

lasticorum auspiciis facturum ab exegetica explicatione SEPTEM PSAL-  
 MORVM POENITENTIALIVM: quos quidem infentia meâ prolixè vobis  
 commendare nihil esset aliud, quàm pro coelo cucurbitam exponere. Sufficit,  
 quòd sat oportunè hoc exponuntur tempore, quo alioquin salutari meditatio-  
 ne *negligentis* (quemadmodum Basilius passionem Domini indigebat) ani-  
 mi piorum occupantur. Decet enim patiente Christo, nos quoq; pati, non  
 quidem more flagiferorum Romanensium, sed more Christianorum, qui cau-  
 sas passionis Dominicae, hoc est peccata mundi sedulo considerant & de poenis  
 peccatorum averruncandis serio cogitant, idq; sit cum poenitentia studemus;  
 cui Threni hi Prophetici calcari esse possunt. Hujus igitur explicationis auspice  
 CHRISTO initium faciam ad diem proximum Iovis, horâ IIX. si prius cra-  
 stina luce horâ IX. in auditorio majore Oratiunculam premisero de SCR-  
 TINIO RATIONIS HVMANAE IN MYSTERIIS DIVINIS, ut constet,  
 quantum nobis ipsis in divinarum rerum studijs fidere aut diffidere debeamus.  
 Præter ordinarias hasce prælectiones, extra ordinem insuper diebus Saturni  
 hora Nona explicationem homiliticam Evangeliorum Dominicalium publice  
 subiungam. Quod ergo restat, juvenes ornatissimi, de vestra humanitate  
 & benevolentia nihil dubito; de me virò, præter fidelitatem & industriam ni-  
 hil polliceri audeo. Is qui dixit per Prophetam, Electi mei non laborabunt  
 frustra, Esa. 65. benedicet nostris quoq; laboribus, ne vel me vel vos impense  
 opere poenitere possit. Sed TV DOMINE juva me, tu Domine bene pro-  
 sperare Psal. 118. Bene valete in Domino & benevolentia vestra conatus me-  
 os adjuvate. P. P. Dominica Reminiscere, quæ fuit XXIV. Februarij  
 Anni Christiani 1605.

M. Fridericus Balduinus,  
 Dreldensis.

F I N I S,

AL.  
obis  
cit,  
rio-  
ni-  
non  
su-  
nis  
us;  
pice  
ra-  
V-  
ct,  
u.  
mi  
lic  
ate  
ri-  
nt  
a/e  
ro-  
ae-  
rij

05 A 2040

ULB Halle

3


003 785 343



Wong







ORATIO  
De Scrutinio Rationis hu-  
manæ in mysteriis divinis.

IN ILLVSTRI  
ET FREQVENTI ACADE-  
MIÆ CONSESSV, SVB AVSPICIIS  
prælectionum publicarum habita VVI-  
TEBERGÆ a. d. 5. Cal. Mart. Anni  
Christiani 1605.

à  
M. FRIDERICO BALDVINO,  
Dresdensi, S. S. Theologiæ Profes-  
fore publico.

*Esa. 65. 23.*  
Electi mei non laborabunt frustra.

WITEBERGÆ  
*Impensis Zachariæ Schureri, Anno 1605.*

